DE
SINGULORUM LIBRORUM SACRORUM AUCTORITATE CANONICA
RECTE AESTIMANDA
COMMENTATIO HISTORICO-DOGMATICA.

CAPITIS PRIMI
PARTICULA PRIOR
QUAM AUCTORITATE
SUMME REVERENDI ORDINIS
THEOLOGORUM
IN ACADEMIA ALBERTINA
PRO LOCO PROFESSORIS EXTRAORDINARII RITE OBTINENDO
D. X. MART. A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. C.
PUBLICE DEFENDET

FRID. LUD. SIEFFERT
PHIL. ET THEOL. DR. HUJUSQUE PROF. PUBL. ORDIN. DESIGN. REG. SOCIETAT. TEUTON. REGIOM. ET SOCIET. HISTOR. THEOL. LIPS. SODALIS.

ASSUMTO AD RESPONDENDUM SOCIO
ALBERTO KAHLE
REGIOMONTANO, THEOL. STUDIOS.
ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT
ANTONIUS LUDOVICUS LEHMANN
REGIOMONTANUS, THEOL. STUDIOS.
ET
CAROL. AUGUST. FERD. KIEHL
ANGERBURGENSIS, THEOL. STUDIOS.

REGIOMONTI PRUSSORUM.
IMPRESSIT CONRADUS PASCHKE.





§. 1.

Quo majori cura atque industria recentioribus temporibus in disquirendis librorum tam Veteris quam Novi Testamenti originibus elaboratum est, eo graviori etiam necessitate nunc efflagitari videtur, ut quaestionibus illis criticis atque historicis nova quaedam iisque accomodata codicis sacri pertractatio dogmatica subjungatur. Quantumvis enim recte hoc moneri soleat, aliam esse rei alicujus pertractandae rationem dogmaticam, aliam historicam, neque alteram posse cum altera sine magno sanioris doctrinae detrimento vel confundi vel permutari, tamen non ita possunt diversa illa litterarum genera a se invicem distrahi, quasi nullo prorsus vinculo secum contineantur, neque ex altero alterum semper respici

possit vel adeo oporteat. Immo, si rerum earundem (veluti revelationis, ecclesiae, scripturae sacrae) simul et historia exploranda et vis propria, quam fides amplectitur, aestimanda est, hac ipsa rerum explicandarum unitate diversae illae disciplinae ita inter se copulantur, ut quae illarum ambitu contineantur, etiam posse ad unam eandemque rem referri ac proinde sibi invisum consentanea esse debeant. Quod quum omnes sentiant, etiam fieri solet, ut si forte in illarum disciplinarum altera, tempore et studio progrediente, multa commutentur, illico etiam in altera nonnihil appareat mutandum, ne forte, quae pleno concentu debeant consonare, turpiter dissonent atque hac ipsa dissonantia falsi speciem aperte prae se ferant. Jam vero librorum sacrorum historiam, postquam in ea pervestiganda studio diligentiori versari coeptum sit, faciem vehementer mutavisse, neminem fugit harum litterarum mediocriter peritum. Imprimis de singulorum librorum originibus a viris eruditis nunc longe aliter judicari constat, quam olim ex traditione vulgari judicari consuetum fuerit. Neque igitur opus est, ut ea hic fusius enarremus, quae, quod ad Vetus Testamentum attinet, de scriptis Mosi, Davidi, Salomoni, Jesajae, Sacharjae, Danieli olim omnium fere consensu tributis nuper sunt disputata, nec quantae sint du-

bitationes excitatae de evangeliis Matthaeo et Johanni adscriptis, de epistola ad Hebraeos perscripta, de epistolis, quae dicuntur, pastoralibus, de posteriori epistola Petri nomine insignita atque Apocalypsi Johannis dicta. Ac si etiam non omnes, qui de librorum aliquorum sacro codice comprehensorum vera origine incerti sunt judicii, ipsi sint solidorum argumentorum ope persuasi, illos libros a viris vulgo auctorum loco nominatis non editos esse, sed aliorum esse auctorum opera nobis non cognitorum, tamen plerosque videmus quaestionibus eo spectantibus eo saltem deduci, ut de pristinarum traditionum ac opinionum usu receptarum certitudine addubitent, ideoque in universum librorum sacrorum origines pro re dubia et incerta habeant. Quod etiam magis eo invaluit, quod ejusmodi judicia contra opiniones antiquitus receptas pugnantia nuper non solum ab iis prolata sunt, qui forte spreta omni scripturae auctoritate, novis quibusdam opinionibus, undequaque conquisitis, illi tantum insultare, sibi autem ingeniosae cujusdam sagacitatis gloriolam captare vellent, sed ab eorum quoque compluribus, qui interno spiritus per scripturam operantis testimonio convicti, sanctam ejus dignitatem firmissima fide amplecterentur, neque vero luculentis vel historiae vel ipsarum scripturarum singularum indiciis obstinata mente

resistere auderent. Iam vero quod supra indicavimus, librorum sacrorum historiam, ipsorum origines et reliqua fata complectentem, cum eorum auctoritate fide agnoscenda aliquomodo nexam esse, neque, quid de illa statuatur, hujus nihil interesse, omnes ferme, etiam distinctis perspicuisque notionibus forte destituti, sentiunt certe et praesumunt. Quo fit, ut omni fere certitudine de librorum illorum originibus, quantum videtur, nuper sublata, etiam de eorum auctoritate quid proinde statuendum sit, permulti profecto ancipite judicio dubitent, nonnulli etiam de auctoritate illa prorsus jam actum esse, vel praematuro luctu deplorent, vel gaudio temerario sibi gratulentur. Atque eorum quoque qui de maxima codicis sacri parte nullam dubitandi causam subesse intelligant, permulti tamen, quid de singulis quibusdam libris eo comprehensis nunc statuendum sit, et quo jure illi in sacrarum scripturarum complexu retinendi vel quo auctoritatis loco habendi sint, secum jam dubitare videntur. Hac autem haesitatione multis indiciis apparente, jam viri nonnulli eruditi eo inducti esse videntur, ut incommodo nunc indicato aliquatenus mederi studerent, veluti Dr. Olshausen, qui libro singulari [1]) de omnium librorum Novi Testa-

1) Nachweis der Echtheit sämmtlicher Schriften des Neuen Testaments. Hamb. 1832.

menti authentia ita disseruit, ut firmissimam eam esse, neque quidquam posse singulorum librorum auctoritati recentioribus illis disquisitionibus criticis vere derogari contenderet; sed quam vitioso solidorum argumentorum defectu, alii jam judicaverunt. Honoris autem causa hic nominandi sunt Viri Summe Reverendi Dr. Bleek et Dr. Lücke, quorum uterque, quum singulos Novi Testamenti libros ita pertractaret, ut ex Apostolorum manibus eos derivari posse negaret, simul de canonica ejusmodi librorum dignitate et auctoritate, uti solent, docte et subtiliter disseruit[2]). Sed virorum illorum commentationes (etiamsi ex omni parte nobis viderentur probabiles, quod affirmare nequimus), Novi solum Testamenti scripta spectant; de Vetere autem Testamento, quamquam quaestiones consimiles nostris temporibus studiosissime sint agitatae, nihil tamen, quantum meminimus, est propositum, quo velut ex professo et generatim de canonica singulorum librorum, etiam pseudepigraphorum dignitate accuratius sit

2) Versuch einer vollständigen Einleitung in den Brief an die Hebräer, von Fr. Bleek. Berlin. 1828. p. 470. Th. I. Versuch einer vollständigen Einleitung in die Offenbarung Johannis und in die gesammte apokalyptische Litteratur von Friedr. Lücke. Bonn. 1832. p. 468. ff.

disputatum. Iam quum nosmetipsi ex commentatione nostra nuper in publicum edita, qua evangelium primum in canone locum obtinens, non esse ab Apostolo Matthaeo conscriptum commonstravimus [3]), etiam occasionem ceperimus, de canonica ejus ac deinceps omnium librorum codicis sacri auctoritate recte judicanda nobiscum cogitandi, operae pretium fore existimavimus, si hanc quaestionem ita pertractandam nobis sumeremus, ut in universum quaereremus, ex quanam re singularis illa libri alicujus dignitas, qua discretus ille ab aliorum librorum grege, in canonis ambitu jure collocandus videretur, vere penderet. Quod si tam generatim explicatum fuerit, sponte jam appariturum esse speramus, an forte et quatenus singulorum librorum auctores novisse fidei intersit, canonicam eorum dignitatem amplectentis; atque hác re etiam cavebitur, ne forte vel virorum eruditorum studia admodum utilia et necessaria imprudenter vituperentur, vel solida fidei firmitas levibus quibusdam aut certe praematuris opinionibus perniciose infringatur. Retectis autem illis dignitatis canonicae fontibus, etiam fieri poterit, ut quae in hac libri alicuius dignitate aestimanda necessarie observanda appa-

3) Ueber den Ursprung des ersten Kanonischen Evangeliums. 1832.

ruerint, ea ad singulos quosque libros nunc codice sacro comprehensos transferantur, atque ita canonis ecclesiae usu recepti censura agatur.

§. 2.

Insignibus autem nos in hac re uti antecessoribus, non ignoramus. Quis etiam unquam vel canonis historiam pertractavit, quin ad hanc devenerit dubitationem, quo jure singuli libri sacro codice comprehensi tandem in eum recepti sint, vel in theologia dogmatica de norma fidei, quae scriptura sacra contineatur, quaesivit, quin de eo quoque disceptare debuerit, quinam demum singuli libri et cur illi ipsi, neque alii aut pauciores pluresve normam hanc constituant. Sed duorum imprimis virorum clarissimorum, qui in hac re exponenda olim jam multum studii consumserunt, nemo non recordabitur, Martini Chemnitii [4]) et Joh. Sal. Semmleri [5]),

4) in Examine decretorum Concilii Tridentini 1566, ubi inde a p. 221 in examine decreti primi quintae sessionis de libris canonicis seu scriptura canonica disquiritur.

5) Abhandlung von freier Untersuchung des Canon. St. I. S. 11.

quorum prior quidem in hac quaestione enodanda tam egregie versatus est, ut tempori sequenti nihil, quod aut addi aut emendari possit, reliquisse facile videatur. Sed quum in ista quaestione explicanda, quod supra jam indicavimus, librorum sacrorum origines, nuperrime demum accuratius pervestigatae, tantum certe momenti habeant, ut silentio praetermitti non debeant, noviter eandem rem pertractavisse nos quidem non poenitebit, imprimis quum non ex omni parte viri illius profecto eruditissimi et acutissimi sententiis assentiri possimus. Quae vero, postquam praestantissimae illae Chemnitii expositiones in altam jam demersae erant oblivionem, Semmlerus, ut perditam theologiae evangelicae libertatem a foeda placitorum humanorum servitute vindicaret, de canone libere pervestigando disputavit, ea quidem a vera canonis notione et natura tam longe aberrarunt, ut non nisi his ipsis erroribus clara luce illustratis et perspectis de re proposita veri aliquid constitui possit. Recentissimis deinde temporibus, quamquam vera canonis notio tam ex Veterum sententiis quam ex ipsius rei natura melius erueretur [6]), tamen de singulorum librorum dignitate

6) Imprimis huc pertinet Henrici Planckii dissertatio: Nonnulla de significatu Canonis in ecclesia anti-

canonica recte aestimanda inter theologiae dogmaticae cultores pauci tantum, inter quos Bredschneiderum [7]), Schleiermacherum [8]) et Twestenium [9]) nominamus, aliquanto fusius scripserunt; qui tamen et ipsi non omnem de hac re scribendi materiam et occasionem aliis praeripuisse nobis videntur, immo vero ut alios certe sic nos quoque incitaverunt, ut etiam majori cum studio rem dubiam et obscuram perspicere eniteremur.

§. 3.

Totam autem quaestionis nobis propositae explicationem inde pendere apparet, ut statuatur, quaenam sit vera canonis et dignitatis canonicae

---

qua ejusque serie rectius constituenda; primo ed. 1820. deinde descripta in Commentat. theol. ed. Rosenmüller, Fuldner et Maurer I., 1. 1825. p. 208—220.

7) Handbuch der Dogmatik der evangel. lutherischen Kirche Vol. I. ed. 3. 1828. p. 275. ff.

8) Der christliche Glaube nach den Grundsätzen der evangelischen Kirche. §. 131.

9) Vorlesungen über die Dogmatik der evangel. lutherischen Kirche. p. 438. ff.

vis et natura, ad quam deinde in singulis libris diiudicandis nos applicare possimus, sive, ut aliis verbis utamur, quonam jure et consilio certi quidam libri a reliquo librorum grege discernantur, atque uno quidem codice canonis nomine conjungantur; quod si intellectum fuerit, etiam de singulis libris judicari poterit, an summo illi canonis conformati seu conformandi consilio respondeant, ac proinde canonicorum librorum complexui adnumerari mereantur. Jam vero quum pluribus rationibus libros ad fidem pertinentes appareat dispesci posse, ita ut diversa eorum genera sibi opponantur, etiam plures iam dispescendi rationes ad librorum canonicorum et non canonicorum discrimen a viris eruditis relatae sunt. Sunt enim, qui quum de tota canonis notione ita sentiant, quasi ea non nisi ad historiam, ad rerum praeteritarum memoriam pertineat, neque vero nos adhuc attingat, eorum censeant librorum complexum ita denominari, quos in antiquissimis ecclesiis vel Judaicis vel Christianis publica lectione recitari sancitum erat[10]); sunt, qui quum perpetuam quandam dignitatem librorum canonicorum propriam defendant, tamen et ipsi

10) Haec est Semleri de propria et genuina canonis notione sententia, libro supra laudata ob ipso defensa Tom. I. p. 9. ff.

canonis notionem magis historicam teneant, ejusmodi nempe libros censentes eo contineri, qui primitivae religionis vel Judiacae vel Christianae veram exhibeant imaginem, ex qua judicari possit, quid ab utraque illa religione abhorreat, quid sit consentaneum [11]; sunt, qui ad morum potissi-

---

11) Haec fere est sententia nuper a VV. SS. RR. Bleekio et Lückio locis supra laudatis proposita, imprimis quum Lückius dicit (p. 468): „Die historische und practische Idee des neutestamentischen Kanons ist die, authentische Urkunden glaubwürdiger Zeugen theils über das Leben und die Lehre Jesu, theils über die Stiftung der christlichen Kirche, theils endlich über die erste Bildung und Entwickelung des apostolischen Lehrbegriffs und der apostolischen Kirchenform zu enthalten, und zwar in der Vollständigkeit und Mannigfaltigkeit, dass es möglich ist, über alle wesentlichen Momente des christlichen Lebens zu einer klaren und objectiven Einsicht in die urchristlichen Principien zu gelangen." Sed ea quoque, quae Bleekius proponit, re ipsa non multum ab illis differunt: „Die Kanonizität des N. T. beruht nicht darauf, dass sein Inhalt der christlichen Lehre gemäss ist, sondern dass die Summe des Evangeliums darin auf so ursprüngliche Weise ausgesprochen ist, dass es eben deshalb die Norm bildet für alles Andere, was als christlich darf angesehn werden, und dieses daraus muss abgeleitet werden." (l. c. p. 476) Historicam hanc dico notionem, quippe quod libri codice sacro compre-

mum disciplinam respicientes, eos libros, qui ad emendandos hominum mores sint inter omnes efficacissimi, collectione canonica conjungi et ecclesiarum christianarum observantiae commendari velint [12]); sunt denique qui dogmaticas potissimum rationes sequentes, eos libros canone comprehendendos existiment, quorum auctores sint inspiratione divina gavisi, seu in quibus vera religio sit initio fundata [13]); atque his cano-

hensi tanquam documenta describuntur, ex quibus res praeteritae, scilicet primitivae religionis vel Judaicae vel Christianae indoles et habitus cognosci possunt, sicut ex Korano primitiva religionis Moslemiticae indoles cognosci atque ad omnia singulorum theologorum Muhamedanorum dogmata dijudicanda adhiberi potest. Ceterum viros illos supra laudatos aliam quoque bibliis sacris tribuere auctoritatem, quam Korano, nemo est, qui ignoret; nos tantum de canonis definitione dicimus, ipsorum propria, quae, uti jam diximus, historica est, atque a Lückio etiam historica nominatur.

12) Haec quidam sententia non expressis verbis a Semlero pronunciatur, attamen ex iis facillime derivari potest, quae l. c. de inutili multorum Veteris Testamenti librorum lectione disserit, quorum nullus sit fructus in moribus emendandis („für die moralische Ausbesserung") e. g. p. 23.

13) quae est notissima theologiae orthodoxae doctrina.

nis constituendi rationibus subnixi, omnes suam quisque de vera singulorum librorum dignitate canonica judicium ferunt. Quam sententiarum varietatem ut effugiamus, quid nobis erit faciendum? Quum tota illa canonis notio antiquitus jam ab ecclesia concepta sit et usurpata, neque vero ex arbitrio recens fingenda, nos quidem, qui ex tota fidei doctrina unum hunc locum, qui est de canone, hic separatim pertractare conemur, proposito optime satisfacturos esse speramus, si historiae decursum sequentes canonis ideam et enascentem et magis magisque excultam contemplemur, usque dum eo perveniamus, ut statuendum sit, quid ex hoc canonis ideae per tempora excultae decursu in nostros usus convertendum sit. Si vero ante omnia prima hujus notioni initia ac velut incunabula respicienda esse videntur, christianam tantum ecclesiam oculis obversari posse in aprico est. Constat quidem, antiquiorem jam librorum collectionem, eadem fere auctoritate ornatam, qua post-

Cf. etiam Marheinecke, die Grundlehren der christlichen Dogmatik 1819, ubi ea huc portinent, quae inde a §. 619 de bibliis sacris disputavit atque in specie de canone §. 664. In altera hujus libri editione, quae prodiit a. 1827, omissa sunt tantum non omnia quae antea de canone erant proposita.

modum Novi Testamenti libri uterentur, Jesu Christi et Apostolorum aetate jamdudum fuisse absolutam atque ex Judaeorum sacris ad Christi ecclesiam continuo translatam esse; adeoque fieri posset, ut quis putaret, totam canonis ideam non esse in ecclesia christiana primitus conceptam sed tantum ab hac velut haereditatis jure receptam, ita ut nec ejus origines intra hujus ecclesiae fines reperiri possent. — Attamen primum quidem historiam codicis Veteris Testamenti paulatim conformati tam parca luce collustratam esse constat, ut conjecturis potius huc illuc inclinantibus de illius collectionis aetate saltem et ordine ex tenebris huic rei offusis viri eruditi aliquid scrutari laborent, quam historiae testimoniis subnixi ejus consilia et rationes enarrare possint. Clariora autem sunt et notiora, quae ad canonis Novi Testamenti incunabula pertinent, ita ut facilius etiam cognoscatur, quomodo ad hanc canonis ideam concipiendam patres deducti fuerint, et quaenam proinde fuerit librorum canonicorum vis propria et potestas. Deinde vero nec illud satis recte obtineri potest, canonis ideam non nisi extra ecclesiam christianam sua habere incunabula. Hoc enim tum demum ita se haberet, si non nisi Veteris Testamenti canonem respicientes etiam Novi Testamenti scripturas Patres eo forte consilio illi adjunxissent, ut, quum

Veteris T. ecclesia suo semel canone uteretur, nec Christi ecclesia simili careret. Quod non ita factum est. Haudquaquam enim antiquissimis illis ecclesiae temporibus, quibus ad canonem constituendum quasi adspirabatur, prompta jam aliqua et parata omnibus idea respiciebatur, cui nova tantum librorum collectio accommodaretur, immo vero certa rerum conditione, certaque necessitate urgente Patres eo deduci videmus, ut inter varios libros in ecclesiae usu versantes, discrimen agnoscendum esse et ipsi intelligerent, et aliis ostenderent, atque ita librorum canonicorum ideam noviter quasi progignerent.

§. 4.

Initiis enim rerum christianarum, nempe saeculo primo et altero ineunte, nulla librorum propria canonis dignitate ornatorum vestigia reperiri et inter omnes constat et nuper a Crednero, viro doctissimo, denuo est accurate commonstratum [14]). Neque enim quidquam vel in interna variorum, qui forte prodierunt, libellorum

14) Beiträge zur Einleitung in die biblischen Schriften Vol. I. 1832. cap.

indole, vel in eorum usu esse potuit, quod efficeret, ut varia eorum genera diversae cujusdam dignitatis sibi opponerentur. Tantopere enim omnes, qui ecclesiae communione continebantur, uno eodemque spiritu se regi, atque etiam regi debere sentiebant [15]), ut etiamsi vel pleniora vel parciora hujus spiritus dona in singulis ecclesiae membris agnoscerent, tamen, quae ab his prodirent, non ita distingui posse intelligerent, ut singula tantum cum singulis, exclusis reliquis, uno genere comprehenderentur. Accedit etiam, ut omnes tunc temporis ex eorum, qui vel ipsi Jesu Christi discipuli fuerant, vel ab his erant instituti, sermonibus unice ferme haererent, atque parcus in universum esset in evangelio vel tradendo vel addiscendo litterarum usus. Si qui autem exsisterent libelli, res fidei tractantes, non facile alio consilio illi legebantur, quam ut fides praedicato evangelio jam suscepta, illorum ope etiam amplius aleretur et confirmaretur; id quod, ut hodienum, sic tunc quoque, atque tunc etiam magis, promiscuo variorum librorum usu, dummodo a sana doctrina illi non abhorrerent, fieri potuit. Si qui autem ita abhorrerent, ut fidelium mentes non illustrare et confirmare sed tantum conturbare possent — ac fuisse tales for-

15) Cf. Credner l. c. p. 5 ff.

tasse, conjici potest, quum doctorum fallacium perversitatem et impudentiam jam in Apostolorum scriptis hic illic videamus castigari [16]) — tamen utrique illi et doctores et eorum libelli tunc temporis non solum obscuriori loco a gustisque finibus se continebant, ita ut non facile plurium ecclesiarum oculos in se converterent, sed etiam ubicunque exsisterent, ab ecclesiis statim agnosci poterant, quum ab evangelio recens tradito, ac communi ecclesiarum fide recepto discederent, et ab Apostolis aliisque ecclesiarum praesulibus, illorum auctoritate constitutis, notabantur. Itaque a scriptis sanam fidem spiranti bus haeretica quidem haud dubie discernebantur, neque vero videmus inter ipsa illa scripta, communem Christianorum fidem continentia tale aliquod discrimen factum esse, ut non nulla eorum, exclusis reliquis ad unum corpus pertinere viderentur. Sponte quidem collectionem aliquam, ecclesiarum usu receptam, sensim jam sub finem saeculi primi ac ineunte saeculo secundo paratam esse, facile conjicere possumus. Nam, quum singula auctorum christianorum scripta proprie quidem singulis Christianorum coetibus adeoque sin-

16) velut in epistolis pastoralibus, ad Colossenses, ad Galatas, all.

gulis hominibus destinata essent, evenit tamen, ut quae a doctoribus praestantioribus ac totam per ecclesiam aut certe per magnam ejus partem celebratis edita erant, etiam latius divulgarentur, atque a pluribus libenter et magno cum fructu legerentur. Quo factum est, ut etiam plura ejusmodi scripta iisdem ecclesiis praesto essent, atque ad communem ipsarum pietatem confovendam et augendam in concionibus sacris identidem recitarentur. Ex hoc igitur genere fuerunt imprimis quae vel singuli Apostoli vel aestimatissimi eorum discipuli, velut Lucas, Marcus, Barnabas, Hermas, Clemens Romanus de rebus fidei aliquanto fusius et ad multorum usum accomodatius conscripserant. Ejusmodi igitur scripta, quibus singulae forte ecclesiae etiam singulos libellos ad se tantum pertinentes addiderunt, per saeculi primi et alterius dimidii decursum sensim ita divulgabantur, ut post medium saeculum secundum plerasque orbis cultioris ecclesias majori eorum parti prorsus jam assuetas videamus [17]), utilitate scilicet commotas, quam ex variis illis praestantiorum doctorum libris pro

17) Cf. De Wette Lehrbuch der histor. crit. Einleitung in die Bibel Alten und Neuen Testaments. Vol. I. §. 20. 21.

communi pietate excitanda et alenda uberrime capere possent.

§. 5.

Jam, si **Semmlerus**, quum liberalem istam canonis perlustrationem moliretur, in hac tantum sententia defendenda substitisset, collectionem librorum, qui Novi Testamenti denominatione nunc comprehenduntur, non inde originem cepisse, ut forte ex omni libellorum copia certi quidam reliquis exclusis, divinarum scripturarum nomine segregarentur; imo vero eos tantum initio accumulatos esse, qui propter magnam, quam eorum auctores consequuti erant, nominis celebritatem totam per ecclesiam dispergerentur, atque argumento suo ad alendam communem ecclesiarum fidem et pietatem imprimis idonea viderentur, atque igitur ex praesulum singularum ecclesiarum judicio plerumque pependisse, quot libri et quinam tali modo colligerentur et in ecclesiarum usum adhiberentur, a veritate ille profecto non longe abfuisset. At vero his se finibus non cohibuit; imo vero eo progressus est, ut etiam canonis notionem ad hanc veterum ecclesiarum consuetudinem libros quosdam, neque eos in omnibus pares, publice recitandi, referret, ideoque ca-

2*

nonem proprie horum librorum indicem fuisse, contenderet, iis imprimis veterum scriptorum locis adhibitis, quibus de canonicorum librorum publica concione legendorum verba fiunt [18]). Qua

18) nempe concil. Carthag. 3. (a. 397) canon 47.: „placuit, ut praeter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum; sunt autem canonicae scripturae: Genesis, Exodus etc. Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio vel aliis earum partium episcopis pro confirmando canone innotescat; quia a patribus ista accepimus in ecclesia legenda.“ deinde ex Innocentii episcopi Romani litteris ad Exsuperium Tolosanum missis (a. 405): „Qui vero libri recipiantur in canone sanctarum scripturarum, brevis annexus ostendit. Haec sunt ergo etc.“ adeoque, ut etiam episcoporum quorumlibet epistolae „canonica lectione“ comprehensas esse demonstret, ex Baronii annal. ad a. 418. locum quendam Evodii de miraculis S. Stephani affert: „eodem die, quo ingressae sunt ecclesiam B. Stephani reliquiae, in ipso principio canonicarum lectionum epistola ad nos delata episcopi Severi, de pulpito in aures ecclesiae cum ingenti favore recitata est, — unde ex hac recitatione talium factorum suorum, tanquam extensione manuum suarum acclamantibus fidelibus ipsi dicere videretur: ecce habetis martyrem etc.“ ex quo loco quidem apparet, epistolas de pulpito cum concione esse communicatas, neque vero a librorum praelegendornm indice seu canone scripturas quasdam

in re eo potissimum peccavit, ut quae tam tempore quem re ipsa a se aliena erant, inconsultius commisceret, et quae de libris canonicis seriori tempore jam agnitis alio consilio praedicabantur seu praecipiebantur, in eum sensum torqueret, quasi canonis et canonicorum librorum notio illic definiretur. Quae vero antiquissimis temporibus in singulis ecclesiis librorum collectiones sensim enascebantur, atque in publicis lectionibus communis fidei et pietatis alendae causa adhibebantur, eas canonis nomine conformatas esse, nullo prorsus veterum scriptorum loco aut alio argumento comprobari potest; imo vero nulla ratione ex librorum canonicorum et non canonicorum discrimine collectiones illae pendebant, sed antequam de hoc discrimine aliquis cogitaret, jam erant in usu. Si vero posthac certi quidem libri canonis nomine comprehendebantur, alio jam quam solo pietatis confovendae consilio ecclesia tunc libris, prius quidem jam divulgatis et celebratis, utebatur, ita ut ex novo hoc librorum usu etiam canonicorum et non canonicorum distinctio exoriretur; id quod nunc statim exponemus.

---

fuisse canonicas vocatas. Reperies haec apud Semmlerum l. c. p. 11—14.

§. 6.

Etenim tunc demum totam hanc canonis et propriae cujusdam singulorum librorum dignitatis ideam emergere videmus, quum ecclesiae finibus latius jam productis, iisque, qui primi evangelii praecones exstiterant, fato defunctis, verae fidei christianae argumentum et totus velut habitus incertitudine quadam laborare inciperet, atque ut ea se exueret, ecclesia certa fidei testimonia conquirere et incertis opinionibus opponere studeret. Nam, quod primo evangelii propagati tempore rarius tantum et obscurius factum est, ut prodirent, qui vel sui cerebri commenta vel opiniones olim jam vulgo dispersas cum singulis christianae fidei articulis perverse miscentes, tamen accuratissimam rerum divinarum cognitionem sibi vindicabant, id eo frequentius accidisse videmus, quo plures omnis generis homines, ecclesiae ambitu adaucto, aliqua ejus societate contingerentur, neque tamen semper certa et pura probatorum doctorum christianorum institutione gauderent. Ejusmodi igitur hominum errores, si fidei christianae nomine divulgabantur (id, quod sub medium saeculum secundum magna jam vi factum esse constat), quaenam fuit in depugnandis illis via

sanioris doctrinae defensoribus ineunda? Quodsi doctrina fidei, quam ecclesia profitebatur, nihil nisi sententiarum ex rerum naturalium observatione philosophica ratione derivatarum complexus fuisset, ita quidem dissidentes a se sententiae inter se erant conciliandae, ut tam observationes illae quam rationes inde deductae accuratius excuterentur et clarius proponerentur. Verum non ita se res habuit; immo vero factis seu rebus gestis nitebatur hominum Christianorum fides, ejusmodi scilicet facta evangelio praedicata agnoscens et amplectens, quibus efficax Dei gratia hominibus se ipsa per Jesum Christum prodidisset. Atque in hoc omnes, qui Christi nomen profitebantur, quantumvis reliquis in rebus dissentirent, tamen uno ore veritatis fontem agnoscendum esse praedicabant, omnesque in eo rei caput versari concedebant, ut quae ad Jesu Christi apparitionem pertinebant, et cognoscerentur et quod ad ejus consilia et rationes attinet, recte intelligerentur. Si qua igitur erant in rebus fidei dubia et controversa, ita tantum ad certitudinem perveniri potuit, ut certa proponerentur omnium eorum, quae ad apparitionem Jesu Christi pertinebant, testimonia, quibus illius et res gestae, et tota vitae ratio et doctrinae summa illustraretur, et ad quorum regulam omnia, quae quis vel ipse proferebat vel ab aliis proferri videbat,

exigi possent et expendi. Jam quidem ecclesiae, quae se ab Apostolis eorumque sociis institutas esse, atque eorum doctrinam velut per manus traditam accepisse sciebant, neque etiam dubitabant, quin Jesu Christi discipuli, ab ipso electi et designati, totam ejus apparitionem et memoria et mente rectissime percepissent, aliosque de ea instituissent, illae igitur hac sua omnium communi fidei doctrina, quam certa Apostolicorum evangelii praeconum serie traditam accepissent, atque uno ore profiterentur, testimonium contineri clamabant de omni Jesu Christi vita et instituto satis certum, cui proinde omnia, quae de rebus fidei docerentur, nisi manifestam falsitatis speciem prae se ferre vellent, consentanea esse oporteret. Hanc igitur fidei doctrinam, totius ecclesiae consensu comprobatam etiam regulam fidei, seu regulam veritatis esse, affirmabant. Quae quidem sententia quam studiose imprimis in Tertulliani et Irenaei libris enucleata et defensa reperiatur, non est, quod moneamus; in illius quidem scriptis passim, praecipue autem in libro de praescriptione haereticorum, qui ferme totus in hac re ex omni parte illustranda et defendenda versatur, atque etiam illo regulae fidei nomine summam fidei unanimi omnium ecclesiarum consensu receptae capite 13 proponit. Ex Irenaeo autem ea impri-

mis huc pertinent, quae tertii libri adversus haereses initio legimus, imprimis c. 3 et 4, quibus de fidei Apostolicae traditione, continua episcoporum successione recte conservata, qua haeretici, ab hac dissidentes, erroris et fallaciae arguantur, plura exponit. — Verum et ipsi illi, qui ab hac consentiente variarum ecclesiarum fide dissentiebant, eam, quam profitebantur doctrinam, inde a Jesu Christo traditam se accepisse asseverarunt: nec facile semper fuit, consentientem omnium ecclesiarum Apostolicarum fidei traditionem ostendere. Quocirca alia quoque arripiebantur testimonia et documenta, quae certius aut saltem facilius, quam traditiones ore propagatae et per ecclesiam dispersae monstrarent, quid de tota Jesu Christi apparitione, omnique re divina, per illam patefacta, sentiendum sit; ac talia documenta a nemine, qui se Christi sectatorem profiteretur, repudianda scriptis illis contineri, ecclesia nunc intellexit, quae a primis evangelii praeconibus composita, magis magisque jam erant divulgata et accumulata, atque in concionibus sacris recitari solebant. Hac igitur ratione ecclesiae patres, inter controversias cum haereticis agitatas, eo devenerunt, ut non solum in universum regula quadam fidei opus esse intelligerent, ad quam omnia singulorum dogmata exigenda essent, sed etiam in cer-

tis quibusdam scriptis hanc regulam (*τὸν κανόνα τῆς πίστεως*) deprehenderent, iisque proinde ita uterentur, ut et sua dogmata hac regula confirmarent et haereticorum opiniones eadem refellerent.

§. 7.

Hujus rei vestigia, quum in Patrum libris ante medium saeculum secundum editis adhuc desiderentur, sub finem hujus saeculi, quo variae interim haereticorum familiae frequentius propullularunt, eorundem patrum modo laudatorum scriptis manifestissime expressa apparent. Irenaeus enim, postquam primo, quem adversus haereses scripsit libro, haereticorum errores enarravit, deinde vero altero eos ita redarguit, ut internam eorum vanitatem retexerit, mox tertium quartum et quintum librum adjungit, quibus, ut rem propositam absolvat, adhibitis Scripturarum testimoniis communem ecclesiae fidem confirmat, haereticorum autem opiniones a veritate alienas esse, evincit. Quod suum consilium jam in libri secundi exitu profitetur: „— — Sed ne putemur fugere illam, quae ex scripturis dominicis est probationem, ipsis scripturis multo ma-

nifestius et clarius hoc ipsum praedicantibus, his tamen, qui non prave intendunt eis, proprium librum, qui sequetur has scripturas, reddentes, ex scripturis divinis probationes apponemus in medio omnibus amantibus veritatem.“ Atque hujus consilii, quod inierat, haereticorum scripturarum ope confutandorum, rationes satis justas esse, primum initio libri tertii demonstrat, omnem nimirum veritatis cognitionem ex Apostolorum institutione derivans, quae ea gaudeat certitudine, ut illam sit nefas repudiare. „Etenim dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem evangelii, per quos et veritatem, hoc est dei filii doctrinam cognovimus, quibus et dixit Dominus: qui vos audit, me audit, et qui vos contemnit, me contemnit, et eum, qui me misit.“ (prooem. lib. 3). „Non enim per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praeconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum. Nec enim fas est dicere, quoniam ante praedicaverunt, quam perfectam haberent agnitionem, sicut quidam audent dicere, gloriantes, emendatores se esse Apostolorum. Postea enim quam surrexit Dominus noster a mortuis et induti sunt supervenientis Spiritus Sancti virtutem ex alto, de omnibus ad-

impleti sunt, et habuerunt perfectam agnitionem. — — Ita Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit evangelii, — — Marcus — — Lucas — — Johannes —. Quibus si quis non assentit, spernit quidem participes Domini, spernit autem et ipsum Christum Dominum, spernit vero et Patrem et est a semet ipso damnatus, resistens et repugnans saluti suae, quod faciunt omnes heretici.“ (III., 1.) Atque hoc jacto demonstrationum ex scripturis petitarum fundamento, Irenaeus postquam brevibus insuper de traditionibus inde ab Apostolorum aetate in ecclesia pure et unanimiter conservatis lectores commonuit, statim rem proprie his libris propositam aggreditur, atque usque ad totius operis finem secundum scripturarum regulam haereticarum opinionum perversitatem retegit et saniorem doctrinam instruit. Hunc scripturarum usum respiciens, quo ut certa veritatis testimonia illae pro regula fidei adhibendae sunt, etiam hoc ipso nomine regulae veritatis pluries jam utitur, exempli causa lib. III. c. 11., ubi unum esse Deum, omnium creatorem, unumque ejus filium eundemque et Verbum, ex Johannis evangelio demonstrans: „Omnia igitur, inquit, talia circumscribere volens discipulus Domini et regulam veritatis (κανόνα τῆς ἀληθείας) constituere in ecclesia, quia est unus Deus omni-

potens, — sic inchoavit in ea, quae est secundum evangelium doctrina: In principio erat Verbum" etc. et lib. IV. c. 69 (ed. Grabe, al. 35), ubi castigatis Valentini asseclis propterea quod de iisdem scripturarum dictis varias ferentes sententias a semetipsis dissideant, Irenaeus addit: „Nos autem unum et solum verum deum doctorem sequentes, et regulam veritatis habentes ejus sermones de iisdem semper eadem dicimus omnes" etc. ubi Dei sermones (τὰ λόγια τοῦ θεοῦ) scripturas indicare vel potius Dei effata, scripturis expressa, ex ipso sententiarum nexu patet. Adde etiam lib. III. c. 15, ubi Irenaeus, Pauli et Lucae auctoritatem vindicans, inter alia plura: „Fortassis enim, inquit, et propter hoc operatus est Deus plurima evangelii ostendi per Lucam, quibus necesse haberent omnes uti, ut sequenti testificationi [19]) ejus, quam habet de actibus et doctrina Apostolorum omnes sequentes et regulam veritatis inadulteratam habentes, salvari possint." Horum quidem locorum a nobis descriptorum nullum ita comparatum esse censemus, ut ipso regulae seu canonis vocabulo jam librorum quorundam comple-

19) Dativum hunc apparet ad participium sequentes pertinere, quod ut graecum ἀκολουθοῦντες a vetere interprete per errorem cum casu dativo conjunctum est.

xus significetur; imo vero in omnibus universalis et, ut ita dicamus, abstracta normae notio vocabulo illi competit; sed quum omnibus etiam haec normae notio ad scripturas quasdam aliquo modo referatur, ita ut doctrinam his scripturis expressam veritatis regulam esse indicetur, etiam proclive fuisse videmus, una cum illa regulae notione ad scripturas relata etiam vocabulum illam exprimens ad has ipsas transferre.

Irenaeo adjungimus Tertullianum, qui quamquam in libro supra commemorato de praescriptione haereticorum scripturarum testimoniis adversus haereticos pugnandum esse neget (c. 15—19), atque imprimis in traditionis Apostolicae auctoritate innitatur, tamen non solum sponte hoc ipso praecepto fusius explicato indicat, tunc temporis scripturas ad dijudicandam et confirmandam vel refutandam fidei doctrinam adhibitas fuisse, sed etiam ipse aliis in libris eodem modo quo Irenaeus scripturarum testimoniis utitur ut regula fidei, a qua quod discrepet, sit rejiciendum. Nam quum Praxeam depugnat, qui Patrem et Filium eundem esse asseruit, ad scripturae auctoritatem eum revocat: „Probare autem tam aperte debebis ex scripturis, quam nos probamus, illum sibi filium fecisse sermonem

suum. — — Aut exhibe probationem, quam expostulo, meae similem, id est, sic scripturas eundem filium et patrem ostendere, quemadmodum apud nos distincte pater et filius demonstrantur," etc. (Advers. Praxeam c. 11). Item quum Hermogenem castigat, mundum ex nihilo creatum esse negantem, ita eum increpat; „Adoro scripturae plenitudinem, quae mihi et factorem manifestat et facta. In evangelio vero amplius et ministrum atque arbitrum rectoris invenio sermonem. An autem de aliqua subjacente materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat Vae illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum," atque illico tum ad scripturae testimonia excutienda convertitur. (Advers. Hermogen. c. 23).

Etiam, qui Tertulliano fere aequalis erat, Clemens Alexandrinus hic est respiciendus, cujus libri non solum testimoniis et sententiarum confirmationibus e Scriptura sacra petitis sunt pleni, sed etiam plures continent locos, quibus certam rerum divinarum cognitionem e scripturis petendam esse, expressis verbis asseritur. Ex quo genere ea prae ceteris hic sunt notanda, quae Clemens in libro septimo Stromaton contra eos disputat, qui propter haeresium dissensiones

ecclesiae se adjungere recusant, veram dicentes fidem ab errorum variorum vanitate non satis certo posse internosci (p. 886 sqq. ed. Potter). Quibus ille veritatem eo intentiori et accuratiori studio indagandam esse commonstrat, eoque studio, quod ad Scripturas prorsus se attemperet. „*Ἀλλ' οἱ πονεῖν ἕτοιμοι ἐπὶ τοῖς καλλίστοις οὐ πρότερον ἀποστήσονται ζητοῦντες τὴν ἀλήθειαν, πρὶν ἂν τὴν ἀπόδειξιν ἐπ' αὐτῶν λάβωσι τῶν γραφῶν* (p. 889). — — *ἔχομεν γὰρ τὴν ἀρχὴν τῆς διδασκαλίας τὸν κύριον διά τε τῶν προφητῶν διά τε τοῦ εὐαγγελίου καὶ διὰ τῶν μακαρίων ἀποστόλων πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος ἡγούμενον τῆς γνώσεως.* (p. 890) — — *εἰ δ' οὐκ ἀρκε. μόνον ἁπλῶς εἰπεῖν τὸ δόξαν, ἀλλὰ πιστώσασθαι δεῖ τὸ λεχθὲν, οὐ τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀναμένομεν μαρτυρίαν, ἀλλὰ τῇ τοῦ κυρίου φωνῇ* (quae secundum sententiarum et praecedentium et subsequentium nexum **scripturis** continetur) *πιστούμεθα τὸ ζητούμενον, ἣ πασῶν ἀποδείξεων ἐχεγγυωτέρα, μᾶλλον δὲ ἡ μόνη ἀπόδειξις οὖσα τυγχάνει, καθ' ἣν ἐπιστήμην οἱ μὲν ἀπογευσάμενοι μόνον τῶν γραφῶν πιστοὶ, οἱ δὲ καὶ προσωτέρω χωρήσαντες ἀκριβεῖς γνώμονες τῆς ἀληθείας ὑπάρχουσιν οἱ γνωστικοί.* (p. 891). Castigantur deinde haeretici, qui scripturis perverse utantur, atque orthodoxorum doctorum **confutationes ex scripturis petitas** callide subterfugere studeant; „*ἐπειδὰν*

γὰρ ἀνατρέπωνται πρὸς ἡμῶν δεικνύντων αὐτοὺς σαφῶς ἐναντιουμένους ταῖς γραφαῖς, δυοῖν θάτερον ὑπὸ τῶν προεστώτων τοῦ δόγματός ἐςι θεάσασθαι γινόμενον κ. τ. λ. (p. 892). Nihilominus scripturis obsequendum esse docetur, quarum vi in divinam naturam transmutemur: „*ὁ τῷ Κυρίῳ πειθόμενος καὶ τῇ δοθείσῃ δι' αὐτοῦ κατακολουθήσας προφητείᾳ τελέως ἐκτελεῖται κατ' εἰκόνα τοῦ διδασκάλου ἐν σαρκὶ περιπολῶν θεός. ἀποπίπτουσι ἄρα τοῦδε τοῦ ὕψους οἱ μὴ ἑπόμενοι θεῷ, ἐὰν ἡγῆται, ἡγεῖται δὲ κατὰ τὰς θεοπνεύςους γραφάς.* (p. 894). — — *Ὁ γνωςικὸς ἄρα ἡμῖν μόνος ἐν αὐταῖς καταγηράσας ταῖς γραφαῖς τὴν ἀποςολικὴν καὶ ἐκκλησιαςικὴν σώζων ὀρθοτομίαν τῶν δογμάτων, κατὰ τὸ εὐαγγέλιον ὀρθότατα βιοῖ, τὰς ἀποδείξεις, ὡς ἂν ἐπιζητήσῃ ἀνευρίσκειν, ἀναπεμπόμενος ὑπὸ τοῦ κυρίου, ἀπό τε νόμου καὶ προφητῶν.* (p. 896). Cum his conferenda sunt, quae jam initio libri quarti Stromaton de rerum exponendarum ordine Clemens indicavit (p. 564 ed. Potter), ubi post alia nonnulla: „*οἷς ἑπόμενον ἂν εἴη,* inquit, *μετὰ τὴν ἐπιδρομὴν τῆς θεολογίας τὰ περὶ προφητείας παραδεδομένα διαλαβεῖν, ὡς καὶ τὰς γραφάς, αἷς πεπιςεύκαμεν, κυρίας οὔσας ἐξ αὐθεντείας παντοκρατορικῆς ἐπιδείξαντας, προϊέναι δι' αὐτῶν εἱρμῷ δύνασθαι ἁπάσαις ἐντεῦθεν ταῖς αἱρέσεσι ἕνα δεικνύναι θεὸν καὶ κύ-*

ριον παντοκράτορα τὸν διὰ νόμου καὶ προφητῶν πρὸς δὲ καὶ τοῦ μακαρίου εὐαγγελίου γνησίως κεκηρυγμένον. πολλαὶ δὲ ἡμᾶς αἱ πρὸς τοὺς ἑτεροδόξους ἀντιῤῥήσεις ἐκδέχονται πειρωμένους τά τε ὑπ' αὐτῶν προκομιζόμενα ἐγγράφως διαλύεσθαι πείθειν τε αὐτοὺς καὶ ἄκοντας, δι' αὐτῶν ἐλέγχοντας τῶν γραφῶν.

Ex his, quos modo descripsimus Patrum locis satis, opinor, elucet, quod supra pronunciavimus, inter controversias cum haereticis agitatas post medium saeculum secundum ecclesiam eo deductam esse, ut certa aliqua veritatis regula, seu canone opus esse intelligeret, qui in dijudicandis incertis et a se discrepantibus singulorum opinionibus confidenter possit adhiberi, et quem praeter consentientem totius ecclesiae traditionem imprimis libris illis jamdudum in Christianorum coetibus usurpatis contineri praedicavit.